

*ter zu predigen und lehren.* Quae verba, non sine pondere prolata, docent, Lutherum nihil attendisse, praeter Dei gloriam & suam vocationem, exemplo ad omnem posteritatis memoriam insigni, quam excellens Dei munus sit, habere vocationem legitimam, & docere non sponte accurrentem, sed divinitus missum. Et, tametsi paucis deinceps annis interjectis, ut ipse in libro nostrae Facultatis sua ipsius manu fatetur, ex ore Carolstadii sacrilegam vocem audiverit, qua *honores Doctorales non impertiturum se amplius* cuiquam dictitavit, utpote a verbo Christi alienos, qui prohibuerit, ne aliquis se Magistrum nominari permetteret: nihilominus ipse hunc Dignitatis Academicae gradum minime omnium contemptum esse voluit, prout ipsum aliquando GRETSERVS accusavit, sed potius eum aestimavit, atque inter alios Doctores, quos publice creavit, praestantissimum illum Virum, & LUTHERI ipsius strenuum imitatore, JOACHIMVM MARTINVM A. 1540. die XVI. Septembris renunciavit, nec non JOANNEM MARBACHIVM A. 1543. aliosque praeclarissimos deinceps Theologos. Nec dubium est ullum, egregiam satis benedictionis divinae portionem, quam Ecclesiae suae impertiri solet, in eo recumbere, ut largiatur viros, doctrina coelesti recte ac solide imbutos, fortes, constantes, usuque rerum divinarum diu ac probe subactos, erroribus omnibus intrepide & debito zelo obviam euntes, uniceque illud quaerentes, ut coetus Dei in veritatis confessione confirmetur. Talibus enim Viris uti delectati quondam Principes, ita expresse interdum voluntatis suae significatione injunxerunt Academiae Patribus, ut illos honore Doctorali exornarent. Testantur Annales nostri, quemadmodum sigillatim

B

Divus